

Verbőczy Tripartituma német fordításának történetéhez.

(1599 október 11.)

Körmöcbányai városi levéltár Tomus I., fons I., fasciculus 6., No. 485. Eredeti, papiron, levélzáró gyűrűpecséttel.

Kivül: Prudentibus ac circumspectis Dominis N. Judicis ceterisque juratis ciuibus ciuitatis Cremniciensis etc. Dominis, ac Patronis suis observandissimis.

Belül: Egregy, Circumspecti ac Prudentes viri, Domini et Patroni mihi plurimum colendi. Seruitiorum meorum paratissimam commendationem.

Postquam priuati exercicij causa opus Tripartitum Juris Hungarici, antea saltem typis Hungaricis et latinis editum, Germanicis uero hac tenus non uisum in Idioma Germanicum transtulissem, constitueram (prout etiam mihi non alium proposueram finem) ista otia inter priuatos parietes reseruare, aut saltem cum aliquot bonis amicis communicare. Qua re divulgata inclytus Senatus Posoniensis, Domini et Patroni mihi aequae observandissimi, nescio quale commodum, seu usum publicum inde sperantes rogauerunt, ut typis demandarem publicis. Quia uero nihil magis in uotis, quam ut Reipublicae inseruire, ad uoluntatem meorum Dominorum accomodare, tandem etiam inuidiae suspicionem euitare possim, meorum Dominorum petitioni annuendum censui et per libellum supplicem a sua Serenitate Domino MATTHIA Archiduce Austriae, Domino nobis clementissimo, in proxima preterita dieta Posonyi hic celebrata obtinui, et considerata diligenti reuisione, et collationem antiquissimi gymnasy Viennensis, accedente etiam consensu Dominorum Consiliariorum Regni Hungariae, sua Serenitas in istam publicationem consentiret. Cum autem meis guaranis? non leuibus sumptibus opus iam perfectum et absolutum sit, fretus summa beneuolentia V. E., qua bonos viros, iisdem translati Juris Hungarici exemplar obseruantia ergo offerrem, et prout in publica libri praefatione factum commendarem. Tandem pro eo, quo animi studio et obseruantia debeo rogarem, et hoc Leidense chartaceum munusculum serena fronte et animo beneuolo accipiant, et illud ipsum, non tam ex sua tenuitate et momento, quam ascribentis animo et affectioni aestiment. Quod reliquum est me studiaque mea animo obseruatissimi offero, eademque patrocínio V. V. E. officiose commendo.

Posonii 11. VIII-bris mensis Anno uerum 15 XCIX E. D. V.
addictissimus servitor

Augustinus WAGNER m. pr.

Közli: ERNYEY JÓZSEF.